

27

DE  
**FATIS VENTRICVLI  
DOLENDIS**

*AUSPICE DEO PROPITIO  
CONSENSU ATQVE AVCTORITATE  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI*

PRÆSIDE

*VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO*

**D. IOANNE IVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO

PATRONO, PRAECEPTORE, ET RERVM SVARVM  
PROMOTORE PIE DEVENERANDO

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS

D. APRIL. A. C. MDCL.

H. L. Q. C.

PVBLINE DISPV TABIT

**IOANNES GOTTFRIED STOECKER**

COTHENIO · ANHALTINVS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPogr.





## PRAEFATIO.



Plurium morborum comitem esse abstinentiam  
a cibis, saltim minus eorumdem desiderium,  
res est per vulgus notissima. Qua de causa  
in plerisque morbis praeter alia symptomata,  
quae narrant aegroti, stomachus praecipue  
accusatur, quando vel assumendos vel iam af-  
sumtos cibos respuit. Ac tuū quidem huic experien-  
tiae, vtut verissimae, varios superstruunt errores,  
quorum maximus ille est, vbi primarium cuiusvis  
talis morbi fundamentum in ventriculo positum esse,  
exinde concluditur, curaque ad ventriculum solum di-  
rigitur. Haec enim est ratio, cur iam ventriculi purga-  
tionem, siue sit per anotericam, siue per catotericam eva-  
cuationem, exposcant aegroti, iam vero eiusdem corrobo-  
rationem vel remediis pharmaceuticis vel solis diaete-  
ticis malint. Ignoscendum equidem hic error rudi in  
arte plebi, sed si in eodem eruditos quoque, imo illos ob-  
versari videmus, qui sanitatem tuendam in se suscep-  
runt

runt, maiorem sane animo nostro excitare debet attentionem; idque eo magis, quo maius subinde periculum ex eiusmodi praecognitis opinionibus et tractationibus iisdem suffultis, in aegrotorum salutem redundat. Praeter sanitatis detrimentum, quod iam tacebo, irreparabilem temporis iacturam incurront; neminem enim fugit, quod non solum per plures menses, sed etiam per aliquot interdum annos ventriculi curam gerant, neque optimis remediis stomachicis finem praefixum assequantur. Qua ratione a posteriori experiri coguntur, quod a priori admittere solebant, scilicet morbum altiores egisse radices, quam ut in ventriculo vitium sit quaerendum. Profecto ars medica flocci esset pendenda, quae non breuiorem suppeditaret methodum, ad ventriculi morbos vere tales tollendos, cum medicamenta assumta locum affectum immediate attingant, ac propterea effectum suum in eodem proxime edere possint. Has mecum volvens cogitationes, *ventriculi defensionem* pro themate inaugurali elegi, non quidem ea intentione, ut omnes ventriculi morbos negem, sed ut ostendam, *ventriculum* saepissime falso pro fundamentali morbi causa haberi, ideoque *fatorum suorum plerumque esse expertem*, id quod inscriptio dissertationis significare debet. Evidem in hac matèria explicanda mihi non videor aliquid noui proferre, cum multi celeberrimi, experientissimique Viri haec de re varia hinc inde ediderint, quoniam autem non invenio, hoc thema publica vñquam dissertatione esse ventilatum, dignissimum et comodissimum illud esse reputavi, ut officio, quod iam mihi incumbit, inserviret.  
Faxit Deus feliciter!

§. I.

§. I.

**R**ectissime Medicorum plures distinctionem inter *idiopathicos* et *symptomaticos* admisere, quum ea pars, quae idiopathice laborat, materiae morbosae sedem et fundamentum primarium contineat; Differentia inter morbos idiopathicos et symptomaticos. illa vero, quae symptomatica adfligitur, a materia peccante prorsus libera est, et a motibus tantum molestis in consensu trahitur. *Cephalalgia* esto exemplo: hic morbus *idiopathicus* audit, si materia morbosa in ipso capite refidet, et motus versus illud directi iam quantitatem sanguinis per haemorrhagiam narium aut coryzam immixtuendam, iam qualitatem aliquam prauam in capite ipso, aut circa illud haerentem abstergendam, iam vitium in partibus solidis remouendum intendunt; *Symptomaticus* autem nuncupatur, quando nullum vitium materiale in capite adest, sed congestio versus caput vel ex obstruktione vasorum abdominalium, indeque regurgitante adfluxu humorum versus superiora, vel ex constrictione partium extremarum corporis et restrictione humorum versus interiora, vel ex ventriculo depravato, per consensum paris neruorum octaui, contingit. a).

§. II.

Quae fontica differentia, vti, ad alios quoque morbos applicari posse, ex ipsa sui natura facile cernitur: AdPLICatur ad morbos ventriculi. §. I. ita, si de *ventriculi morbis* nobis sermo est, eos vocamus *idiopathicos*, qui primariam suam sedem et fundamentum materiale in ventriculo habent; *Symptomaticos* vero, qui ventriculum quidem afficiunt, ab aliis autem cauissis, extra eumdem sitis, originem ducunt.

A 3

§. III.

a) Conferatur Illustris PRAESIDIS Conspectus Medicinae theoretico practicus, Tab. XXI. II. 1,2. pag. 181.

## §. III.

*Explicatur  
porro.*

*Idiopathicae afflictiones ventriculi* plerumque iis hominibus, qui in eligendo et assumendo victu parum sunt attenti, supervenire solent, et facili negotio avertuntur, si medicamenta necessaria statim opponuntur; *symptomaticae* vero iis communissimae deprehenduntur, qui selectam quidem, minus tamen temperatam, observant diaetam, vitamque praeterea degunt minus mobilis, ad quorum classem maxima pars eruditorum et honoratorum referri meretur. Atque hae symptomaticae ventriculi molestiae multo difficilis Medico faceant negotium, et curationem exposcunt longe diurniorem.

## §. III.

*Usus huic  
differentiae in  
praxi.*

Medicum in omni curatione animum ad materiam morbosam praecipue applicare debere, illam ut corrigat atque excernat, quivis concedit, quoniam vero in omnibus stomachi passionibus eadem non semper in illo continetur, §. II. sequitur, vt, si rite suo munere defungi velit, quavis occasione in ipsam morbi sedem penitus inquirat, ne incongruam aut plane contrariam morbo adhibeat indicationem. Itaque operae pretium fore existimo, si praecipuos ventriculi adfectus commemorando in quovis ostendam, ubi & quando vel idiopathicus vel symptomaticus sit vocandus: ex qua tractatione simul apparebit, ventriculum saepius accusari, curamque illius pluries a Medicis & ægrotis respici, quam quidem ipsius morbi natura exposcit.

## §. V.

*Generalis in-  
troductio in  
tractationem  
ipsam.*

*Vitia ventriculi idiopathica* sunt, quae ex perversa stomachi indole in ipso generantur, & iam materiam viscidam, tenacem, iam acido-salinam, iam halituosam, nidorosam,

rosam, iam biliosam produnt. Quieta nonnunquam haec materia in ventriculo iacet, neque natura motibus molestis eidem se opponit, nonnunquam vero per varias spasticas commotiones excitata, sive per os, sive per alvum eliditur: Huc referuntur *foetor oris, soda, ructus, vomitus & diarrhoeae*. Quod si haec vitia in ventriculo quidem adsint, neque tamen ex ipso sed aliunde originem ducant, ad *symptomatica* referenda erunt. Saepius tamen accidit, quod nulla materia peccans in ventriculo praesens sit, ille vero nihilominus variis spasticis cruciatibus divexetur, quo in casu iure meritoque *symptomatice* laborare eundem, perspicuum est. §. II. Veniunt in hunc censem omnes fere morbi *spastico-cardi- algici, colici, distensiones & expansiones ventriculi* cum reliquis horum motuum pedissequis. Sic *appetitus* quoque in aliis deficit, in aliis adeat, prasertim in iis, ubi nulla materia morbifica in stomacho praestato est; immo *excedere* subinde observatur. Coniectantur porro hic affectus inter se tam vario diversoque modo, ut raro unicum eorumdem solum aegrotum vexare reperias; alias alii hinc inde sociatus molestiam efficit aegrotanti multiplicem. Itaque, ne in tractatione horum morborum, tam diversimode complicatorum, in labyrinthum incidam, filum sequutus *Illiustris DN. PRAESIDIS*, quod *ipse* in *Therapia sua speciali pag. 811. & Tabula CI. & sequentibus* texuit, eodem ordine praecipuos ventriculi morbos perlustrabo. §. VI.

Primus in hoc ordine nominandus venit *Adpetitus excessus*, qui ad ventriculi morbos ideo refertur, quoniam in ipso ventriculo saepius adsunt *particulae acidofalinae*, tunicas eiusdem nerveas extimulantes, naturamque

*Adpetitus excessus, unde oriatur.*

que ad assumendos cibos excitantes. Neque tamen solis his particulis excitatio adpetitus adscribenda est; pone enim hominem cibos avide adpetentem, cuius ventriculus particulis istis irritantibus refertus est, porrige illi copiosa potuenda aqua, haec diluendo stimulum eorumdem particularum infringenter, famem vero minime tollent. Ex contraria parte perpende alium, p[ro]ae fame morti fere proximum, qui, cum de adportatione ciborum solum audit, reviviscere & a fame multum liberatus esse observatur. Quibus rationibus ducti facile comprehendimus adpetitum ordinatum aequem ac excedentem non a solis particulis acidis vellicantibus esse derivandum, sed potius a desiderio animae, modo legitime, modo inordinate adpetentis b).

### §. VII.

Ad statum sanum hic adfectus magis, quam ad aerogrotum pertinet, siquidem vere aerogrotantes potius adpetitu carere solent, interim nonnunquam morbo cuiam chronicā se adiungit. Ii, qui hoc vitio laborant, non solum in copia assumendorum excedunt, sed etiam in ipsa adsumptione et deglutitione adeo sunt avidi, ut ore prehensa frusta vix mandant, antequam ventriculo tradant. Haec aviditas in nonnullis ita augetur, ut fami caninae aut bovinæ similis fere fiat, idemque nomen adipiscatur. Saepius etiam, praeprimis in gravidis

b) Consentit in hac re nobiscum BEAT. FR. HOFFMANNVS, qui cum de adpetitu docet, ita verba facit: „*Adpetitus quidem est res solius animae, nibilominus tamen a caussis mere corporeis determinatur & dirigitur.*” Vid. eiusd. Medicin. Systemat. Tom. I. pag. 179. §. XXII.

*Variae eiusdem species.*

dis aliisque delicatulis ad incongrua vel plane nociva  
fertur, aliaque tunc sortitur nomina.

§. VIII.

Iam si quis in afflictionibus talibus curam ad ventriculum solum dirigere vellet, atque illius purgationem et correctionem vnicce respiceret, in tenebris certe veraretur, nec vnam scopo suo esset satisfacturus. Evidem non inficias imus, salium mediorum, digestorum usum conducere in nimia voracitate, ad iuvandam assumitorum praeparationem, concoctionem et egessionem; his tamen remediiis ipsum avidum animae desiderium afferre nequimus, quod *medicamenta moralia* potius praestant, ex alio fonte petenda.

§. VIII.

Hanc theoriam et therapiam in experientia fundatam Exemplum com-  
esse, pluribus comprobari posset exemplis: sufficiat probatur.  
vnum adduxisse, quod maiorem rei addet lucem. Minister quidam verbi diuini adpetitum habebat adeo excedentem, vt ne quartam quidem horae partem transigere posset, nisi vnum saltem frustulum panis, quem semper ad manus habebat, assumeret. Veniebat ille ad *Experientissimum Dn. PRAESIDEM*, qui, re percepta, illum ad exspatiandum invitabat, et panem pro forma, vt dicunt, secum portabat. Haud procul erant profecti, quum summa cupiditate edendi flagrans aegrotus frustulum panis sibi expeteret, Medico autem non auscultante, et aliam quasi rem simulante, in veram lipothymiam coniicetur. Ad se rediens iterum eadem fame corripiebatur, et denegato pane in lipothymiam rursus incidebat. Hanc scenam tertia vice ludebat, postea pertaesus huius lusus ab eodem recedebat. Dolendum autem maximopere,

B

cura-

curationem hanc, vtut efficacissimam in paucissimis propter teneritudinem plurimorum individualem posse applicari, praesertim, vbi omnia, quae adpetuntur, ad aerotorum manus sunt, et pro ratione stat voluntas.

## §. X.

*Adpetitus de-  
ficiens, eius-  
dem subiecta.*

Eodem iure, quo adpeditum excedentem ad ventriculi morbos referendum esse monstrauimus, §. VI. *deficientem* illum iisdem accenseri posse arbitramur. Si adpetitus causa generatim in anima quaerenda est, §. eod. sequitur, eiusdem defectum etiam in illa fundamentum suum habere, eamdemque animam, quae adpetit, cibos quoque aversari. Sani, qui sunt, ab hoc affectu plerumque immunes manent, nisi per incongruam diaetam veras in ventriculo genuerint cruditates: in plerisque vero afflictionibus morbois adpetitus vel plane abesse, vel tamen non vigore animadvertisit. Leuiores enim non nunquam affectus catarrhales, aliaeque congestiones sanguineae, familiarem comitem agnoscunt adpetitum prostratum, ne dicam de febribus omnis generis, in quibus ordinario adpetitus deficere solet.

## §. XI.

*Differentia et  
causae.*

Si caussa *deficientis adpetitus* in ipso ventriculo latet, eundemque, variis impuritatibus viscidis, nidorosis, biliosis etc. repletum, exhibet, morbus dicitur *idiopathicus*, qui, si illius caussa extra ventriculum quaerenda, *symptomatici* nomen potiori iure meretur. Duplicem potissimum reperimus rationem, cur natura in pluribus morbis respuat cibos. 1.) Quando corpus iamiam nimia quantitate sanguinis oneratum est, ac propterea novis alimentis non augeri debet, quae maiorem tantum eidem

eidem adferunt molem impuritatum c). Quod passim videre licet in sedentariis, plethoram spissam gignentibus, nec non in hypochondriacis eodem onere pressis, qui plerumque *defectum adpetitus* accusare solent. 2.) Deinde quoque cibi a natura fastidiuntur, quando extraordinarius labor in corpore peragitur, sive sit particularis spasticus, sive vniuersalis febrilis. Dum enim in alio loco motibus suis occupata est, negorio digestionis et concoctionis assumtorum interfervire nequit, quam ob rem illud potius non adpetit, quod subigere non potest.

§. XII.

*Defectus adpetitus*, ex ventriculo deprauato, uti facilis negotio tolli potest, si caussae illum efficientes nominatae, remouentur, sic eundem mittimus, et *symptomaticum* potissimum explicamus. Hic scandalum theoretico practicum tantum non ubique obiicitur, et sero sapere Phryges vix ac ne vix quidem observantur. Multum enim ac diu optima stomachica in hoc affectu symptomatico propinat, nihil tamen efficere solent, quoniam non pervident rationem, cur adpetitus sit prostratus. Quot Pathologi mali hypochondriaci sedem et caussam in ventriculum coniicere solent, d) quoniam aegroti tales eundem semper adcusant! Profecto autem, si in ventriculo haereret caussa illius mali, multo oppro-

B 2

brio

c) HIPPOCRATES Aph. VIII. Secr. II. ait: *Impura corpora, quo magis nutritur, eo magis laeduntur.*

d) Prae reliquis allegare placet Experiensissimum in arte medica Beatum FR. HOFFMANNVM, cuius sub Praesidio MEINECKE Dissertationem inaugurealem de vera Mali hypochondriaci sede, indole & curatione defendit. Halae 1719.

brio foret Medicis, qui non citius idem tollere possent malum. Ex longe alio fonte hypochondriaci de ventriculo conqueruntur, quod cibos nec adpetat, nec assumtos retineat, neque retentos bene concoquat, ex eo scilicet, quem §. anteced: deteximus; id quod *Illustris Dn. PRAESES* paucis verbis ita explicare solet: *Ventriculus cibos assumere nec vult, nec debet, sed destinato consilio & iusta ratione eosdem recusat.*

## §. XIII.

*Probatio ab  
Experientia.*

Vt vero theoriam nostram experientiae conformem esse demonstremus, ex antea dictis repetendum est, quod optima quaevis stomachica, & vina diaetetica, lectissimaque alia, adpetitum alias excitantia, eundem in hypochondriacis revocare non soleant. Idem autem hypochondriaci, quando corpus suum motu assiduo fatigant, cunctantur, quod post talem corporis fatigationem, indeque provenientem lenem diaphoresin, cibos non solum adpetant, sed simul bene concoquunt e), luculentio testimonio, adpetitum a natura excitari ad resarcienda amissa, sed prostrerni, si nulla humorum consumptio in corpore contingit.

## §. XIV.

*Adpetitus  
defectus in fe-  
bribus.*

In febribus adpetitus ordinario plane abesse solet, & quidem, si intermittentes sunt, in ipso labore febrii semper prostratus, die vacuo a natura de novo plerumque

o) Conf. SANCTORII Med. Stat. Sect. III. Aphor. 75. qui ita audit.  
 „Medicus, qui praest rationi victus principum, si nescit, quantum et quando quotidie perspirent, illos decipit, et non medetur,  
 „et si iuvet, casu iuvat.“

que excitatur; in acutis continuis adpetitus prius non redire solet, quam hostis superatus est, & periculum non amplius urget. Haec periodus ad VII, saepius ad XIII dies, immo nonnunquam ultra hunc terminum extenditur, quo tempore aegroti a cibis abstinere solent. In lenti, hecticoideis, consumptoriis adpetitus quandoque adesse solet, ut scilicet corpus exhaustum eo faciliter laborem febrilem diurnum sustinere possit. Error itaque est, vulgo satis communis, existimanti, male de aegroto esse actum, quid, quod signum esse sequiturae mortis, si nulla alimenta exposcat; quam ob rem saepius aegrotis esculenta obrudunt, & multis persuasionibus eos adeo fatigant, ut nolentes, cum ipsorum damno, cibum sumere cogantur *f).* Nesciunt enim, quod salutaris in eo statu sit abstinentia, & quod cibi aegrotos magis aggravent, quam refocillare possint. Quare Medicum hic methodum dehortoriam & elenchiticam nonnunquam adhibere oportet.

## §. XV.

Multa sane admiratione dignum est, quod homines, *paradoxum medicum.*  
qui in statu sano vix unum alterumve diem, sine ingentibus stimulis & cruciatibus, a cibis abstinere possunt, in febribus plures dies, immo saepius hebdomades haud difficulter iisdem carere soleant, cum tamen excretiones adsint largiores tam per vrinam, quam per sudores. Nota est mihi mulier, quae foetum in utero gerens febre corripiebatur, & per quatuor hebdomades ne tantillum

B 3

qui-

*f)* HIPPocrates Aphor. 65. Sectionis VII. ita scribit: Si quis febricitanti cibum praebeat, aegrotanti morbus fit; cum quo conferendi Aphorismi XI. & XVIII. Sectionis I.

quidem cibi solidioris assūmebat, nihilominus tamen non solum partum sanum excludebat, sed etiam post partum lac infantī porrīgere poterat, licet virtūbus admodum erat destituta. Profecto hic tam sapientissimam corporis nostri fabricam, quam prudens in eodem directorium agnoscere licet, per quod ipsae partes solidae cum fluidis mixtis in lympham nutritiam iterum resolvi, atque ad sustentationem eiusdem impendi possunt,

## §. XVI.

*Foetor oris.*  
Eiusdem diff.  
*rentia &*  
*caussae.*

Ad foetorem oris progredior, qui, vti ex Tab. CIII. Therapiae specialis Illustris Dn. PRAESIDIS liquet, plures agnoscit caussas. Dividi potest in *idiopathicum*, quando caussa materialis peccans, foetorem talem efficiens, in ipso ventriculo continetur, & ex variis cruditatibus, ibidem haerentibus exsurgit; & in *symptomaticum*, vbi foetor quidem ex ventriculo provenit, caussam vero longe intimorem ex massa sanguinea in ventriculum depositam, & in transpiratione quotidiana suppressa fundatam agnoscit. Namque particulae istae sulphureae, oleofae, si per diapnoēn continuam non excernuntur, in corpus inhalant, totum tractum intestinorum, praesertim ventriculum obsident, plicis eorumdem se insinuant, ibique per moram aliquam contentae gravem odorem assūmunt, qui postea in exspiratione, ore aperto, manifestus redditur. Comprobant hoc assertum plurimorum eruditorum aliorumque honoratorum exempla, dum vitae maximam partem sedendo transigentes ordinarie hoc male vexantur.

*Prognosis &*  
*curatio.*

§. XVII.  
Satis diu hic morbus, si *symptomaticus* est, aegrotis mole-

molestiam efficit, nec tam facile medicamentis auscultur, quam quis crediderit; cum tamen, si vnica eius causa in ventriculo haeret, per medicaminum immediatum accessum citius tolli potest. Itaque, si perfectam ab hoc morbo liberationem intendit Medicus, quotidianam aegrotis diaphoresin iniungere debet, ut particulae illae foecidae, quas halitus exspirat, per millenos corporis poros exterminentur, utpote per loca, illarum excretioni propriæ destinata. Experientia in hac re a partibus nostris firmissime stat, quae non solum docet, laboriosorum paucissimos hoc morbo detineri, sed etiam plures comprobavit, motu corporis assiduo hunc adfectum felicissime esse sublatum.

## §. XVIII.

Eadem fere ratio est cum adfectu illo ex ventriculo prodiente, qui iam in ordine §. V. constituto tractandus sequitur, et nomine *sodæ* insigniri solet. Distinguimus hunc adfectum itidem in *idiopathicum* et *symptomaticum*, prioris causam ex ipsa ventriculi cavitate, posterioris ex neglecta moderata quotidiana diaphoresi derivantes. Idiopathicum, tanquam morbum ventriculo proprium mittimus, et de symptomatico tantum, in quo ventriculus falso accusatur, aliqua adnectimus.

## §. XVIII.

Illud cum antecedente morbo commune habet, quod ex fundamento nimiae sanguinis copiae proveniat, et transpirationem suppressam agnoscat matrem plurium morborum foecundissimam, ab eodem autem differt in eo, quod molestum et fere mordentem aegrotis adferat sensum, cum foetor oris absque dolore adsit. Cuius differentiae ratio in eo procul dubio consistit, quod in *foetore*

*sodæ, eius dif-*  
*ferentia, cau-*  
*sæ.*

*tore oris* semper adsit orificii ventriculi sinistri relaxatio, in *soda* vero eiusdem constrictio. Ex eadem quoque differentia explicari potest, cur *foetor oris* semper et ubique sentiatur, *soda* autem per intervalla tantum recurrat, et sensum exhibeat ardenter. Ansam huic malo dant, idemque multum exasperant pinguis, oleosa, aliaque calida assumta, quae sanguinem commovendo impetum partium istarum seroso-halitiosarum augent, illarumque molestam perruptionem procreant.

## §. XX.

*Eius Therapia.*

Dantur nonnunquam homines, hoc malo per aliquot annos vexati, quamvis varia eidem opposuerint medicamenta. Neque solida curatio prius obtineri potest, quam humores ad peripheriam ferantur, serumque illud halituosum per ordinarias vias, cutis poros puto, exterminetur. Commendant quidem Auctores remedium, quod cito, tuto et iucunde auxilium adfert, scilicet aliquot amygdalas excorticatas comedendas; <sup>g)</sup> sed dolendum, quod non perpetuum inde peti possit auxilium, quum cito redire soleat morbus, nisi caussae indicatae alia via removeantur. Haec est via vniuersalis peripherica, quae, licet plurimis nimis molesta ac parum commoda videatur, rectissima tamen, scopum attingit exoptatissimum. Neque tamen conuenit per regimen coactum sudorem exprimere, quanquam enim tali modo particulae seroso halitiosae excernantur, tono naturali destitutus manet stomachus, qui in *foetore oris* nimium relaxatus, in *soda* vero nimis intensus est, nec aliter in aequalem ordinem redi-

g) Conf. Illustr. Dn. PRAESIDIS Therap. general Tab. VIII.  
pag 280, 5. 1).

redigi potest, nisi vniversum corpus, et singula membra eiusdem simul roborantur, id quod nullum remedium melius et constantius praefstat, quam saepius laudatus corporis motus.

## §. XXI.

Ad praecipuos ventriculi morbos refertur etiam *Cardialgia*, seu spasticus orificii ventriculi sinistri dolor, cum eiusdem differentia. ita dictus, quoniam orificio illud ab Auctoribus anatomis nomine *Kardias* adpellari solet. Huius caussa vel in ventriculo ipso continetur, et tune vocatur *cardialgia idiopathica*, vel extra ventriculum, vbi *symptomatica* audit: ad symptomaticam autem tractatio nostra tantum est directa. Multas hic morbus aegrotis facevit molestias, multas exprimit querimonias, nam ad optima saepe fercula assumta eiusmodi anxietates praecordiorum sentiunt, immo ne iuscula quidem tenuia sine talibus motibus deglutire possunt. Vehementiam suam nonnunquam ita exserit, vt concurrant aliquando *adfectus syncoptici*, praeterea satis diu aegrotos excruciat, grauitatemque suam diuturnitate compensat.

## §. XXII.

Accedo ad *causam* huius fontici adfectus inquirendam, atque vt eamdem eo certiorem reddam, *subiecta & causae.* huic morbo praecipue obnoxia, prius considerabo. Generatim hoc referuntur homines plethorici, qui abundantiam humorum per lectam lautamque diaetam quotidie augent; hi, si multum sedendo humores suos redundat spissos, variis stagnationibus et obstructionibus in vasis abdominalibus, cum veina portae connexis, ansam praebent, et sanguini exitum per ordinaria loca preecludunt. In tanta vero accumulatione et coacervatione

C

humo-

humorum versus interiora natura<sup>1</sup> variis motibus spasticiis viam sibi parare et humores superfluos excernere studet. Dirigit proinde motus suos iam ad venam haemorrhoidalem internam atque ad vasa, quae ad genitalia ab hac discedunt, iam ad externam; in priori casu excretionem sanguinis per haemorrhoides aut menstrua tentans, in posteriore quidem pari modo eumdem fluxum haemorrhoidalem respiciens, minus autem efficiens. Qui motus spastici, finem suum non attingentes, sanguinem versus superiora loca restringunt, eumdemque ad ventriculum per vasa brevia et gastrica reprimunt, ut ibidem per vomitum cruentum exitum habere possit. Assequitur nonnunquam natura sub his motibus finem suum, et vomitus cruentus aliquando subsequi solet; saepius tamen molestae illae restrictiones sanguinis absque effectu eruptionis eiusdem contingunt, praesertim, vbi spissitudo humorum transpressionem sanguinis simul impedit.

## §. XXIII.

*Probatio ab experientia.* Videmus ergo, causam quidem materialem cardialgiae symptomaticae consistere in sanguine superabundante spisso, per ordinarias excretionum vias exitum non inveniente; formalem autem in eiusdem directio- ne versus ventriculum. Comprobant hoc adserunt omnia hoc morbo laborantium exempla: Simulac enim enim tales aegroti sanguinis immunitio, per venae se- fctiones menstruas, et per quotidiam superfluorum detractionem, motu corporis obtinendam, student, ab hoc malo certissime liberantur. E contraria parte ab omnibus aliis remediis nulla firma salus sperari potest, et natura, quam diu sanguinis copia nimis onerata manet, hosce

hosce motus spasticos quavis occasione, praesertim ad assumendos cibos reiterat, vtpote a quibus malum ipsius magis magisque augetur.

## §. XXIII.

Communissimus hic notari debet error: Vulgaris scilicet methodus in hoc arduo affectu ordinare solet varia calida remedia, essentias calidas, quas nuncupant stomachicas, quae, licet in officinis sub nomine *aquarum* stomachicarum prostent, parum tamen aquae in se continent, et quoad plurimas partes constitutivas summe spirituosa deprehenduntur. Quantam vero noxam hae aquae aegrotis adferant, vix exprimi potest, multo minus ipsum morbo somitem tollere possunt; siquidem spirituosa tales aquae agunt potissimum in partes solidas, ideoque vias, per quas sanguis excerni deberet, magis constringunt et orgasmum sanguinis producunt, quo præterito humores euadunt ipsiores, et ad excretionem redduntur ineptiores. Vbi autem illas aquas subinde auxilium attulisse fertur, ibi non alio modo istud fieri potuit, quam tonum vniuersaliter intendendo, quo facta particularis constrictio spasmatica minorem exhibuit sensationem, quae tamen relaxato tono vniuersali iterum persentiscitur, quia nimirum materialis huius mali cauſa non fuit sublata.

## §. XXV..

Felicior in hac re fuit STAHLIVS, qui huic dolori mitigando opposuit pulverem suum antispasticum, eumque iure merito pulvrem stomachicum nominavit. Namque illum ingreditur nitrum, remedium, ad placandos motus spasticos mitissimum, tutissimumque; addita sunt alia media digestiva, virtute incidente & resolvente præ-

*Error practi-  
cus, cum aquis  
stomachicis,*

dita, ideoque ad sanguinis stagnantis expeditionem aptissima. Veruntamen haec res paucissimis persuadetur, quum praeiudicatae variae opiniones plurimorum obserderint animos. Audiui, Medicum hic loci quondam fuisse, qui ut pulvarem dictum hoc morbo aegrotantibus porrigitur posset, illis persuasisset, non frigidum sed calidum ipsos habere ventriculum, temperantibus, non calidis, corrigendum.

## §. XXVI.

*Offendiculum  
in Therapia.*

Neque praetereundus est lapis quidam offensionis in hoc morbo occurrentis. Exposuimus iamiam §. XXI, quod aegroti, hoc morbo vexati, ne lectissima quidem iuscula perferre possent; idem contingit medicamentis, quae huic morbo opponimus. Pulvis temperans, so antecedente descriptus, si assumitur, aliquibus maiorem praecordiorum anxietatem efficit; eamdem sortem habuere Mixturae resoluentes alcalinae, quae primis vici bus assumtae vehementissimos dolores cardialgicos produxerunt. Crediderunt nonnulli, illegitimam medicamentorum praeparationem effectus huius contrarii esse caussam, pluribus autem exemplis experti sumus, eumdem esse subsequutum, quamvis medicamenta rite praeparata, et caute propinata fuerint. Quare potius cum Illustri Dn. PRAESENTE existimamus, errorem naturae vnicce hic esse accusandum, quae, quod male aestimauit, assumere non cupit, id, quod ex eo satis clare perspicitur, quia, si medicamenta ista invito propinantur aegroto, eorumque usus, licet adversus, sedulo continuatur, horror & taedium ab iisdem non solum cesseret, sed & effectum edant, quallem exserendum earum indoles poscit.

## §. XXVII.

§. XXVII.

*Cardialgia* a vermis quoque provenire posse, res est ab experientia stabilita, qui, si soli cardalgiae ansam-  
dant, singularem omnino exposcunt medelam; si vero  
sanguis abundans, spissus & stagnans concurrit, vna vin-  
demia duos dealbare debet parietes Medicus, sive talia  
praescribere medicamenta, quae utrius scopo satisface-  
re possunt. Pari modo agere debet, si vitium ventricu-  
li idiopathicum conspirare animadvertisit, quod, ut atten-  
datur, eo magis necessarium est, quo magis sub motibus  
versus ventriculum directis, impuritates simul illuc de-  
feruntur ibidemque colliguntur.

§. XXVIII.

Ad morbos ventriculi referimus porro *flatulentiam*. *Flatulentia*,  
Illa quidem totum intestinorum tractum obsidet, infestat eiudem divi-  
tamen pariter ventriculum, ac per eumdem *ructibus* pro-  
ditur. Commode quoque dispeci potest in *idiopathi-  
cam*, a variis feculentis, oleraceis aliisque adsumptis cibis  
ex ipso ventriculo ortam, & *symptomaticam*, a caussis extra  
ventriculum sitis, nempe a sanguine, in venae portae vi-  
sceribus restagnante, derivandam.

§. XXIX.

Convenit hic morbus cum antecedente 1) ratione *Posterior eius-  
subiectorum*, quae corripere solet, utpote eadem, quae dem morbi ex-  
§. XXII. descripsimus, quod adeo certum est, ut gene- plicatio.  
ratis inde omnium practicorum facta sit observatio: *quos-  
libet scilicet hypochondriacos*, seu, quod idem est, omnes,  
sanguine abundante spisso, in visceribus abdominalibus  
restagnante, praeditos, esse *flatulentos*. b) 2) ratione causae,

C 3

quae

b) HIPPOCRATES Libr. II. de Morb. artic. 67. morbum vocat ru-  
ctuo-

quae hic eadem esse deprehenditur, ita tamen, ut transfusatio quotidiana neglecta multum quoque contribuat ad hunc morbum generandum. Namque, si vapores isti, per transpirationem quotidie excernendi, i) in corpore remanent, natura autem motibus spasticis sanguinis copiam superabundantem per loca excretoria efficiunt studet, neque tamen valet, restringuntur cum sanguine eiusmodi vapores halitusfae, serosae ad intestina, illa inflant & diffundunt, atque huc illuc delati varios *borborygmos*, *strepitus* aliosque rumores in corpore edunt. Accedit in hoc malo notabilis intestinorum relaxatio, quae maius spatium flatibus istis concedit, ac proinde molestiam angustantem mirum quantum auget, aliaque producit incommoda. k) Neque tamen vobis talis relaxatio deprehenditur, dum potius in opposita, aut adiacente parte intestina nimis constringuntur, ut scilicet per talem constrictiōnem et compressionem flatus eo melius et citius expellantur. Eadem est conditio ventriculi flatibus referti, cuius orificium superius in emissione ructuum relaxatum est, cum eiusdem fundus interea constringatur. l).

## §. XXX.

*Etiosum. SENNERTVS Libr. II. Institut. P. III. cap. 14, aegrotantem talem mille ructibus de die strepentem describit.*

- i) SANCTORIVS in Med. Statica Aphor. 13. Section. III. scribit; *Flatus nibil aliud est, quam rude quoddam perspirabile.*
- k) Conf. BAGLIV. Tract. de fibr. motr. & morb. Libr. I. cap. 7. pag. 67.
- l) Elegans hoc spectat observatio BOCCONIS *vivi* Epistol. 24. qua causas ructuum hypochondriacorum lautiorem victum, frumentorum vberatatem & vitam desideria scite coarguit.

## §. XXX.

Plures communiter ab hoc morbo derivant mole-  
stias, quam ipse producere potest. Evidem non ne-  
gamus, multas facessere turbas aegrotis, sed quoslibet do-  
lores in abdomen obvios eidem adscibere, ignorantiam  
proderet in arte salutari. Potiore iure plurimos in ab-  
domine dolores naturae motus esse adseveramus, qui-  
bus se ab impedimentis, ibidem obviis, liberare studet,  
cum tormenta, praeter molestias angustantes et oppleti-  
vas, nullum sensum acutum excitare possint, qui partibus  
solidis, ultra modum naturalem intensis, vnicice con-  
venit.

## §. XXXI.

*Therapia* huius mali subiungenda est. Qui flatu-  
lentiam levi intuentur oculo, requirunt medicamenta  
carminativa, seu flatus discentia. Haec, vulgari me-  
thodo concinnata, calidae et spirituosa indolis sunt, quae  
impetum suum in partes solidas ferunt, materialem cau-  
sam non attingunt. §. XXIII. Sed, cum flatulentia sym-  
ptomatica causam sanguineam pro fundamento habeat,  
§. XXVIII. cautissimum hisce cum remedii oportet esse  
Medicum. Commendamus potius pulverem nostrum an-  
tispasticum §. XXV. laudatum, cui tonicum quoddam  
remedium, v. c. cort. Cascarill. rad. Gent. rubr. aut  
spec. de gemmis addere possumus. Si ademus porro  
loco Essentiarum calidarum Extracta ex radicibus et her-  
bis resolventibus, in forma pilularum sumenda, qualia  
continentur in pilulis Stahlii polychrestis; sic tuto ubique  
procedere et flatus sine noxa dissipare possumus. Si tan-  
dem aegrotis quandoque aliquid concedendum est, essen-  
tiae minus calidae calidioribus semper anteponenda, vbi  
Effent.

Effent. Citri & Aurant: cort: vti et Effentiam Cascarill. cum Effent. Millefol. iunctam, securissimas esse, experientia docuit. Nihilominus omnia dicta remedia constans et perpetuum auxilium adferre nequeunt, id, quod in quotidiana vaporum excussione per diapnoen, et inde enata resolutione ac immunitio humorum cum aequabili partium roboratione consistit, quas indicatio-nes motus corporis quotidianus isque sufficiens egregie praefat.

### §. XXXII.

*Colica eiusdem  
differentia.*

In censem quoque vocanda est *Colica*, affectus prae reliquis summe dolorificus, immo nonnunquam ita saevus, vt in veras erumpat convulsiones, mortemque ipsam, licet rarius, habeat pedissequum. Sedes huius morbi quidem non est in ventriculo, sed maxime in intestino colo, ipsi substrato, ventriculus autem, eidem superin-cumbens, simul a doloribus ipsis ducitur in consensum. Si *idiopathicum* hoc malum est, vt plurimum a bile commota & effusa originem dicit, si *symptomaticum*, vel dissipationem flatulentiae modo descriptae, vel discussionem & transpressionem sanguinis pro fundamentali caussa agnoscit. Monuimus iam §. XXVIII. quod in quavis flatulentia in altera intestini parte adsit dolor spasticus; Iste, si excedit vehementia sua, si cruciatus dire exercet, si intestinum *colon* prae reliquis vexat, proprio *Colicæ* nomine ab Auctoribus fuit insignitus m).

### §. XXXIII.

*Subiecta et  
caussæ.*

Itaque subiecta & caussæ huius morbi conueniunt cum

m) Conf. Dissert. ZEHNERI de *Colica haemorrhoidali*, PRAESIDE Illustri DN. ALBERTI. Haleæ, 1718.

cum iis, quae paullo ante §. XXII. XXVIII. delineavimus. Perspexit hoc iam Antiquitas, quod caussa sanguinea in *Colica* concurrat, vnde HIPPOCRATES, Medicorum omnino Princeps, *Colicam* talem *ileon* haematides sive colicam sanguineam nominavit, n) quam Nostrates *colicæ* haemorrhoidalis nomine nuncuparunt. Maiore autem vehementia invadit aegrotos, quam omnes morbi priores, dolores enim adeo exquisitos exserit, ut constansissimum animum frangere possint, quare praecipuum huius morbi momentum in celeri, secura & circumspeta eiusdem tractatione consistit o).

## §. XXXIII.

Alvus, quum in huius morbi invasione clausa esse *therapia*. deprehenditur, ante omnia aperienda, 1) per clysteres emollientes & paullulum stimulantes; 2) per laxantia leniora v. c. per solutionem pilularum polychrest. STAH-LII. Subiungantur temperantia nitrosa, cum securis moderantibus, alternatim quavis hora sumenda; addatur decoctum millefolii, tanquam specificum turbarum V. P. moderans, & simul in usum trahantur varia externa, scrobiculo cordis imponenda, v. c. linteal calida, lapide serpentino onerata. In hoc casu Medicus non otiosum spectatorem se gerere, sed potius omnia, quae aegroto auxilium adferre possunt, experiri debet, quam aegrotum annum sine solatio dimittere. Morbus interim scenam suam ludit, & quanquam omnia medicamina in auxilium

D tra-

n) HIPPOCRATES Libr. de intern. Affectionibus §. 49.

o) Noxas, ex perversa curatione dependentes, eleganter ostendit F. C. IVNCKER in diff. de morbis colicam consequentibus. Haiae. 1749.

trahantur, tamen aliquos saepe dies durat, licet a vehementia sua quodam modo remittat.

§. XXXV.

*Passio iliaca.*

Ordo noster propositus *Passionem iliacam* expendendam posceret, hunc autem morbum, a caussis externis saepissime provenientem, nec cum ventriculo tam arcte, quam priores morbi, connexum, missum facimus, ad sequentem Tabulam, quae de vermis agit, progredientes.

§. XXXVI.

*De Vermibus  
observationes  
practicæ.*

*Vermes*, vti reliqua intestina, sic ventriculum etiam obsident, ideoque ad ventriculum optimo iure referri possunt, licet potius ad *idiopathicos* quam *symptomaticos* ventriculi morbos pertineant. Interim notatu dignum est, 1) quod iisdem motibus spasticis, cardialgicis, naufragis caeterisque antea nominatis velificare possint, eamque ob caussam Medicum non satis attentum saepius fallant, curam non ad vermes, sed ad statum sanguineum solum dirigentem. Itaque prudentem se gerere oportet, et oculos simul in colluviem verminosam deflectere, quae se per pravam digestiohem non obscure prodit; signa tamen reliqua, vermium praesentiam indicantia, probe teneat, ad statum praesentem applicet, curamque suam ita instituat, vt in dubio et complicato statu utriusque fastisfacere queat scopo §. XXVII. Deinde quoque 2) notari meretur, quod vermes in intestino recto potissimum stabulantes, *Ascarides* dicti, tenesimum haemorrhoidalem saepius mentiantur, ac Medico eo felicius imponant, quum quovis mense, luna decrescente, recurere quandoque observatum fuit.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Ad *Obstructionem alvi* nos ordo dicit. Duplex illa *obstructio alvi, eius causae et curatio.* est, et iam a *causâ passiva*, nimirum relaxatione toni, et remissione motus peristaltici totius intestinorum tractus dependet, quam *idiopathicum*, ac proprio significatu *obstructionem*, vocare licet; iam vero a *causâ activa*, constrictoria, oritur, quando nempe per diversos motus spasticos, praecipue in intestino recto ad haemorrhoides promovendos concitatos, feces aluinæ infarciuntur, humidum earum magis magisque dissipatur, illarumque egestio difficilior redditur, atque hanc *adstrictiunem* potius alvi quam *obstructionem* vocandam esse existimamus. Certissime haec alvi *adstrictio*, seu *obstructio symptomatica* aufertur, si sanguini liberior per viscera V.P. circuitus paratur. Multum tamen iuvat, si hoc morbo correpti, tempore quodam certo et destinato, sive sit mane, sive vesperi, negotio alvum deponendi aliquamdiu indulgent, neque prius a loco discedunt, quam feces sint expressae. Hunc morem, si per XIII. dies legitime observant, ordini isti ita adsuescunt, ut quotidie, eadem hora destinata, alvum habeant apertam.

§. XXXVIII.

Consilium istud eo magis necessarium esse arbitramur, quo maiorem molestiam alvi *adstrictio aegrotis accersere* solet. Nam pathemata hypochondriaca, alvo adstricta, semper sunt acerbiora; praeterea *tenesmus* saepius se iungit admodum molestus, qui propter difficultatem fecum exclusionem *ani procientiam* nonnunquam fecum dicit. In tali vero horum morborum nexu facile videmus, quod eorumdem therapia quoque arctissi-

*Tenesmus et  
Procientia  
Ani.*

mo nexu cohaereat. *Prolapsus intestini recti repositio-*  
*nem & retentionem per machinulam exposcit.* Tenes-  
*mum per plures menses continuo durantem, & cum mo-*  
*dica, saepius tamen repetita, excretione mucida per al-*  
*vum, iunctum, plerumque signum esse laesorum visce-*  
*rum, per experientiam compertum habemus.*

### §. XXXVIII.

*Vomitus, eius-*  
*dem differen-*  
*tia.*

Restant duo adfectus primarum viarum confide-  
*randi, ambo excretionibus conspicui.* Prior horum est  
*Vomitus*, modo ex ipso ventriculo depravato procedens,  
*vbi simplex audit, modo alias caussas agnoscens, a qui-*  
*bis varia sortitur nomina p).* Illum autem vomitum nos  
*potissimum respicimus, qui a caussa sanguinea dependet,*  
*& iam vomitus nephriticorum, iam hypochondriacorum &*  
*hystericarum dici potest.* Ex ipsius denominatione iam  
*iam liquet, quod ii tantum huic morbo obnoxii reddan-*  
*tur, qui sanguinem habent abundantem, spissum, in va-*  
*fis viscerum nobiliorum hinc inde stagnantem, ac deter-*  
*minatam sedem iam occupantem.*

### §. XXX.

*Vomitus cauf-*  
*sae.*

*Vomitus caussam aliqui in debilitate ventriculi quaे-*  
*rendam esse volunt, cum tamen quivis facile compre-*  
*hendat, ad ciendum vomitum magnum requiri robur,*  
*quoniam motus peristalticus plane debet inverti.* Aliam  
*ergo caussam subesse necesse est, quam in afflictionibus*  
*calculosis sequentem esse putamus.* Naturain detergen-  
*do vlcere renali, & expellendo concremento lapidoso*  
*inde*

p) Videatur Excellentiss. PRAESID. Consp. Therap. spec. Tab.  
 CXII. II.

inde enato, motibus suis spasticis occupata, per eiusmodi vomitum primas vias antea purgare intendit, ne fordes ibidem retentae laborem abstensorium postea impediant. Hypochondriacorum & hysteriarum vomitus vel ex restrictione sanguinis ad ventriculum oritur, eiusdemque, per genitalia & haemorrhoides exitum non invenientis, excretionem, per vomitum cruentum, respicit; vel ex taedio naturae, cibos recusantis, per quos plethora, qua iam onerata est, cum reliquis malis annexis, augmenta capit.

### §. XXXXI.

Sensibilitatem ac teneritudinem individualem mul-  
tum ad hunc morbum contribuere certissimum est; si-  
quidem aliqui hanc vel illam sortem ciborum tantum re-  
spuunt, alia ciborum genera libenter assumentes & bene  
concoquentes. Neque tamen idiosyncrasian exinde de-  
ducimus, sive peculiarem fibrarum ventriculi dispositio-  
nenem admittimus, cum ab experientia edocti simus, talem,  
qualem fingunt nonnulli, fibrarum ventriculi situm intra  
quadrantem horae posse immutari. Quod si enim alimen-  
ta, ab aegrotis per vomitum reiecta, ipsis iterum iterum  
que porriguntur, prius a vomitu desistunt, quam talis  
fibrarum mutatio contingere possit. Conf. §. XXVI.

### §. XXXXVII.

Medela huic morbo opponenda sequentibus absolui-  
tur indicationibus: primum sanguis superabundans im-  
minuendus, id quod partim venaesctionibus repetitis,  
partim autem, & quidem constantissime, per quotidiana-

D 3

num

num corporis exercitium ad lenem vsque sudorem peragitur; qua ratione etiam alteri indicationi satisfit, quae sanguinis necessariam resolutionem & expeditionem in visceribus nobilioribus exposcit, non omissis medicamentis, huic scopo convenientibus. Methodum hanc rationi esse conformem, ex ipsa morbi indole patet, & quam plurimis aegrotorum exemplis confirmatur, qui post diuturnam equitationem, aut incommodam vectionem, aut alium corporis motum ab hoc malo liberantur.

### §. XXXIII.

*Diarrhoea.*

*Diarrhoea* tandem superest, quam ad ventriculi morbos non ideo referimus, quod causa eiusdem in illo semper haereat, sed quoniam a vulgo in eundem reponatur; illum enim depravatum ac debilem esse existimat, qui proinde nec cibos assuntos rite concoquere nec in succum atque sanguinem conuertere possit. Non quidem negamus, *diarrhoeam* quandoque a depositione materiae qualiscunque peccantis in ventriculo posse oriri, illud autem veritati repugnat, quod in quavis diarrhoea ventriculus sit depravatus, qui in multis deiectionibus alvinis sanus omnino esse potest.

### §. XXXIV.

*Diarrhoeae re-solutoriae  
quid?*

Occurrit in praxi diarrhoea aliqua, quae, licet parum attendatur, satis tamen frequens est, et ex depositione partium superfluarum serosarum sanguinis in intestinorum cayum exoritur. Experiuntur eiusmodi depositiones alvinas maxime sedentarii, hypochondriaci,

ci, hystericae, et ut verbo comprehendam, omnes ii,  
qui humores serosos per ordinariam viam, sudorem pu-  
ta, non eliminant. Certis contingunt anni tempori-  
bus, iam aliquot dies, iam hebdomades, sed sine viri-  
um prostratione perdurantes. Has nuncupare licet *re-  
solutorias*, in eum scilicet finem a natura institutas, ut  
detrahendo partem sanguinis serosam ipsius copia su-  
perflua imminuat, corpusque impurum purum red-  
datur. Ob eamdem rationem verno potissimum tem-  
pore observantur, quum hiemali tempore transpiratio  
fuit suppressa, ac humorum collectio et coacervatio in-  
de fuit enata.

**§. XXXXV.**

Atque hae diarrhoeae, si absque virium debilita-  
tione perdurent, tolerandae potius, quam sistenda*e* <sup>Earumdem  
curatio</sup> *q).*,  
cum notum sit, aegrotos sub his frequentibus alvi de-  
jectionibus ordinario melius se habere, quam sine iisdem:  
quod si tamen tempus ducere & corpus enerva-  
re videantur, nec certius nec tutius tolluntur, quam  
per apertam viam vniuersalem. Itaque vel motus cor-  
poris, ad lenem usque diapnoen continuatus, suaden-  
dus; vel si eidem vires non sufficiant, eadem diapnoe  
tranquila per regimen aliquod tepidum in lecto provo-  
canda *r).*

**§. XXXXVI.**

*q) Spectat* hoc Praeclarum istud CELSI: *Vna die fluere alvum, sae-  
pe pro valetudine est, quin & pluribus, modo abit febris, & in-  
tra septimum diem conquescat.* Conf. Diff. supra allegatam  
HOFFMANNI de vera mali Hypoch. indole, sede &c.

*r) Conf. SANCTORII Medicin. Stat. Sect. I. Aphorism. 92.*

## §. XXXVI.

*An plures den-  
sur ventriculi  
morbis?* Recensitis et expensis praecipuis ventriculi afflitionibus ad finem properamus. Plures si quis numeret eiusdem affectus, eidem subscriptimus, ita tamen, ut ad prolatos singuli referri possint. Praeterea ordinem *Illustris Dn. PRAESIDIS* secuti, ab eodem recedere nullo modo potuimus. Hoc iterum iterumque monemus, quod dissertationis nostrae sensum non ita explicandum velimus, ac si praeter symptomaticos ventriculi morbos non dentur idiopathici, quod ubique concessimus, licet eorum tractationem, vt pote scopo nostro non convenientem, omiserimus.

## §. XXXVII.

*status morbo-  
rum ventricu-  
li complicatus.* Nec quisquam existimabit, nos solam caussam sanguineam in recensitis affectibus accusare, qui potius hinc inde demonstravimus, ventriculi vitium idiopathicum cum symptomatico conspirare et simul adesse posse. §. XXVII. XXXVI. Innuimus eam ob caussam aliquando, Medicum oculos in vtraque via dirigere, & si simul adsint, vtrique curationem opponere debere.

## §. XXXVIII.

*An viscera V.  
P. spasmos re-  
cipere possint?* Hoc certe ex antea dictis liquere, nobis persuademus, quod rationem perspicere liceat, cur hypochondriaci & hystericae omnes, immo tota eruditorum ac sedentiariorum cohors, tot acerbas de ventriculo gerat querimonias, cum tamen in pluribus sit innocentissimus. Imposuit haec res eruditis, & vt supra §. XII. men-

mentionem iniecumus , aliqui de re medica optime meriti viri , sedem mali hypochondriaci in ventriculo & intestinorum tractu esse adseverarunt , maximum in eo argumentum ponentes , quod ventriculi & intestinorum tunicae ad recipiendos spasmos multo aptiores existant , quam ipsa viscera V. P. quae , vti prohibent , mollieris laxiorisque sint texturae <sup>s).</sup> Sed , quis est , quem fugiat , omnia vasa iisdem tunicis nervoso-membranaceis esse instructa , quibus intestina , ne dicam , quod omnia viscera a membrana eiusdem indolis intuoluantur , ac multae ligamentosae & tendinae partes in ipsis offendantur , quuin capsula illa GLISONII tota eiusmodi structura gaudeat.

### §. XXXVIII.

Optima ac securissima ab omnibus illis malis *praeservanda*  
*servatio* consistit in eo , vt alimenta , quotidie assumenta , per sudorem quotidianum iterum consumamus ; ita enim adpetitus vigebit , concoctio vegete succedet , & assunta in succum & sanguinem rite convertentur , nec una allegatarum afflictionum symptomaticarum est metuenda <sup>t).</sup> Novit hoc mysterium rusticorum turba , quae , quoniام in sudore faciei panem comedit , ab eiusmodi affectionibus ventriculi , quales nos pertractavimus , semper libera manet . Si tamen ali-

E

quan-

<sup>s)</sup> Conf. Dissert. saepe allegatam de vera morbi hypochondriaci sede , indeole & curatione . §. VI. VII.

<sup>t)</sup> SANCTORIUS in Medicin. Stat. Aph. 105. III. bonae valedicis pestem dicit , corpus ex toto tradere quieti .

quando ipsorum ventriculus laborat , vel a nimia ciborum appletonie , vel a bilis per iram in ventriculum effusione, illud derivandum est.

## §. L.

*Epilogus.*

Sed multa postulamus , pauca impetramus . Haec via , licet admodum secura & salutaris sit , nihilo secius adeo negligitur , vt potius molestias perpetuas sentire , quam illam ingredi malint aegrotorum plurimi . Nos , qui veritatem exploratam proposuimus , reliqua cuiusvis experientiae relinque-  
mus.

## TANTVM.



VIRO  
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO,  
EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO,  
DOMINO  
IOANNI IVNCKERO,  
MEDICINAE DOCTORI,  
EIVSDEMQUE  
PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO, PAEDAGOGII  
REGII, NEC NON ORPHANOTROPHEI GLAV-  
CHENSIS PRACTICO FELICISSIMO,  
PRAECEPTORI FIDELISSIMO,  
PATRONO AC PROMOTORI RERVM SVARVM  
OPTIMO, OMNI PIETATIS AC OBSERVANTIAE  
CVLTV NVNQVAM NON PROSE-  
QVENDO.

V I R  
EXCELLENTISSIME, EXPÉ-  
RIENTISSIME.



S i mecum repeto pristinorum tem-  
porum memoriam , illaque cum  
praesenti meo statu confero, quem  
salutis meae Auctorem nominem , praeter  
TE habeo fere neminem . TIBI enim , quod  
adhuc in viuis sim , magna ex parte referen-  
dum esse , multa animi laetitia recordor ; nam ,  
quum

quum in eo essem, ut Academiae nomen darem, tam graui in Orphanotropheo nostro conflictabar morbo, vt de restitutione mea dubitarent plurimi, quam tamen TVO consilio & auxilio felicissime adeptus sum. Postea animum ad Medicinam applicans, TE non solum per quinquennium & vltra Praeceptorem expertus sum fidelissimum atque experientissimum, sed & Patronum, paterno vere amore me complectentem. Admisisti me porro ad specialiorem praxeos exercitacionem, ac in Orphanotropheo occasionem suppeditasti exoptatissimam, vbi TE Auspice & Duce habitum practicum ad vota adquirere potui. Praeterea in exarandis epistolis variorum easuum medicinalium ad manus TIBI esse, mihi benigna fors contigit. Quorum omnium recordatio, si tranquillam mentem subit, non potest non grati animi tesseram exigere, quam cum meditarer, primicias academicas TIBI offerendas iustissimum esse duxi. Leuius quidem munusculum

lum, ac beneficiis TVIS in me vberriime col-  
latis longe impar , eam tamen ob caussam  
commodissimum mihi visum fuit, TVVM  
quod TIBI reddit. Duplices tantum preces  
addo, partim, vt illud tanquam recens testi-  
monium benevolentiae TVAE erga me ad-  
das, ac, quicquid virium mearum fuit, be-  
nigne suscipias; partim vt TIBI persuasum  
habeas, me plura ac maiora pro perpetua  
TVA , totiusque TVAE Domus Salute  
nuncupare vota, quam quae litteris expri-  
mere possum. Vale & amare perge

## NOMINIS TVI EXCELLEN- TISSIMI

Halaे

d. III. ante Idus. April.

MDCL.

*cultorem obseruantissimum*

I. G. STOECKERVM.

VIRO IVVENI  
PRAECLARO, ET EXIMIE DOCTO  
DOMINO CANDIDATO RESPONDENTI,  
**JOANNI GOTTFRIED**  
**STOECKERO,**  
OMNIGENAM ADPRECATVR FELICITATEM

P R A E S E S.




ptimo inhumanitatis me insimulares iu-  
re, nisi debita eruditio*nis* probitatis-  
que laude, ac laetabunda honoris im-  
petrandi gratulatione TE, CAN-  
DIDATE DOCTISSIME, in  
arenam disputatoriam descendenter, prosequerer. De  
eo enim, quod iam alterum agatur lustrum, ex quo in  
arte

arte medica assiduus indefessusque fuiſti auditor, vt rati-  
ceam; tribus iam abhinc annis ob dexteritatis proſectu-  
umque TUTORVM praeflantiam, in praxi mea clini-  
ca, et praecipue in Orphanotrophei nesocomio Σωτηρού  
aleo fidelem et ad quaevis officia paratum TE praebui-  
ſti, vt mihi futurus TUVS diſcessis acerbus videatur.  
Cum vero ex laudabili proficiendi ardore annos iam diu-  
tius protraxeris academicos, dum iſtos finire decernis,  
aliis valentem Medicum invidere non possum, quin po-  
tius eſt, quod TIBI, clausula praeterea optima exiſten-  
te, gratuler. Tale enim peritia in arte ſalutari ſpeci-  
men exhibes, dum de FATIS VENTRICULI DOLENDIS  
diſputas, vt uniuersus, cui ex altiori fonte rerum in-  
dolem peruidere licet, facile ſit iudicatu, non coeco et  
fatuo fato ethniconum, ſed multo provide eleſto ſtudio, ac  
Divini Numinis benedictione, tantum ſcientiae medicae TE  
collegiſſe theſaurum. Fruere igitur laboris praemio! Ca-  
pe feliciter, quibus es dignissimus, boures doctoiales!  
Eſto miserorum aegrotorum folamen! Perge, qua ſemel  
coepisti, integratatis via, et ſemper in eorum pervera  
numero, qui ab omnibus diligenteruntur. A me certe  
quaevis benevolentiae et amoris ſigna exspecta. Vale.

Dab: d: X. April. MDCCCL.







Ula 4713

ULB Halle  
003 901 068

3



SV



B.I.G.

Farbkarte #13



DE  
27

# FATIS VENTRICVLI DOLENDIS

AVSPICE DEO PROPITIO  
CONSENSU ATQVE AVCTORITATE  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

D. IOANNE IVNCKERO  
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMOQUE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO

PATRONO, PRAECEPTORE, ET RERVM SVARVM  
PROMOTORE PIE DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

SYMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS

D. APRIL. A. C. MDCCL.

H. L. Q. C.

PVBLICE DISPVTABIT

IOANNES GOTTFRIED STOECKER  
COTHENIO · ANHALTINVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPOGR.

